

ritualibus, quæ in christiana communione fundamentum habent, tres ego distinguo species. Aliæ sunt functionibus verè hierarchicæ, quæ Clericos à laicis vel ex divina, vel ex ecclesiastica constitutione distinguunt; ex divina, veluti collatio Sacramentorum; ex ecclesiastica, veluti collatio beneficiorum, aut pensionum in redditibus beneficiis, & similia: aliæ sunt functiones communes, & laicis, Clericis universis, veluti jus Sacramenta percipiendi, jus etiam ipsum generale communionis christianæ; aliæ denique sunt veluti in medio constitutæ, quæ necdum ad hierarchiam spectant, sed ad disponendam, tribuendamque hierarchiam quoquo modo referuntur, non proximè quidem, sed remotè. Quum autem dicitur, laicos spiritualis juris esse incapaces, id verissimum est, si de hierarchicis functionibus exercendis agatur, quales sunt, quæ à sacro ordine pendent; at si de cæteris juribus extra hierarchiam positis sermo sit, nemo non videt, quam falsa foret generalis illa traditio, ex qua sequeretur, laicos utut in Christianam communionem receptos, à Sacramentorum susceptione, quasi à spirituali jure, esse semotos. Juspatronatus tale jus est, quod in medio quodam collocatur. Non spectat illud ad hierarchicum munus; neque enim in eo versatur collatio ordinis, vel beneficii. Non spectat illud ad jura generalia communionis christianæ, ne fortè admittatur, ad jura patronis tantùm concessa omnes vocari, qui in christiana communione

consistunt. Medium quoddam est, quod refertur ad viam sternendam causa futuræ ordinationis, & collationis beneficiaræ à Prælato ecclesiastico peragendæ; hujus autem juris non adeo incapaces dici laici possunt; quando scimus, apud veteres bonum testimonium etiam plebis desiderari consuevisse, ut quis ad sacros ordines, & ad sacra ministeria proveheretur, quemadmodum etiam hodie jus unicuique laico competit, & quidem spirituale, opponendū adversus ordinationem illius, qui gravis criminis reus, aut irregularitate notatus ad sacros ordines adspiraret. Est hoc jus, aliaque similia, verè jus spirituale, eo sensu, ut in commercium sine simoniæ labe venire non possit, ut supponat jura christianæ communionis in eo, qui velit idem jus exercere, ut in pœnam admissi alicujus gravioris auferri ecclesiastica lege possit; non tamen eo in genere est constitutum, quo laicus credatur pœnitens incapax, & non nisi quadam legum generalium dispensatione reddatur idoneus. Quod si ad juspatronatus obtinendum opus fuit generali sanctione canonum, qua singularis habita fuit ratio fundatorum, aut eorum, qui à fundatoribus causam habent, hæc canonum sanctio opportuna eatenus fuit, quatenus modi designarentur, quibus juspatronatus aliàs vicissitudinibus variis obnoxium deffiniretur; non verò, ut opus esset dispensatione quadam, qua laici idonei ad quædam explicanda ejus generis jura redderentur.

CAPUT II.

De variis Patronatus speciebus.

Receptissimæ hodie sunt duæ jurispatronatus species; aliud enim ecclesiasticum dicitur, aliud laicale. Quia in re non inspicitur aut fundatorum, aut eorum, qui fundatori succedunt, qualitas, sive conditio, quasi, si illi ecclesias-

tici viri sint, ecclesiasticum, si laici, laicale juspatronatus appelletur; sed potius inspicitur qualitas bonorum, ex quibus erectum fuit beneficium, vel Ecclesia, ita ut si bona ecclesiastica sunt, utut à laico viro collata, adhuc juspatronatus eccle-

clesiasticum sit, si verò bona laicalia sint, sive patrimonialia, tunc juspatronatus laicale dicatur, quamquam Clericus fuerit, qui bona eadem contulisset. Finge enim verò, laicum possidere bona Ecclesiæ, vel commendæ, vel alia simili titulo, atque ex iis bonis erigere Ecclesiam, vel beneficium, non aliud juspatronatus fundator acquireret, quam ecclesiasticum. Finge è contrario, Clericum erigere beneficium, vel Ecclesiam ex bonis familiaribus, aut patrimonialibus, juspatronatus laicale à fundatore utut Clerico acquireretur. Hujus rei ratio evidens est, siquidem cum patronatus sit quædam veluti Ecclesiæ remuneratio, & beneficii repensatio, qualitas donatarum rerum attenditur, ut conjiciatur ejusdem repensationis conditio; aliàs autem si personæ qualitas inspiceretur, insuper habita qualitate bonorum, jus ipsum patronatus pro modo possessorum sibi invicem succedentium novas sæpè qualitates adsumeret, & modò ecclesiasticum, modò laicale fieret, prout modò à Clerico, modò à laico, modò à laico possideretur; quod sanè repugnat, quum qualitas rei cohereat ipsi rei, imò ex Stoicorum philosophia à re ipsa minimè distinguatur. Hinc fit, ut in patronatu ecclesiastico, qui causa bonorum ecclesiasticorum in erectionem beneficii, vel sacræ ædis collatorum acquiritur, succedat post fundatorem quicumque erit successor in beneficio administrando, cujus bona collata sunt in novam Ecclesiam, vel beneficium erigendum; at in patronatu laicali ii succedant, qui vel tacitè, vel expressè fuerint à fundatore pro arbitrio vocati. Perspicua hæc sunt, si juspatronatus competit ex fundatione, vel dotatione: Quid tamen si fuerit ex privilegio acquisitum? In hac specie erit perpendenda privilegii causa, ac finis, & observandum, an is, qui privilegio patronatum concessit, potius voluerit distinguere dignitatem, & officium Clericale, an potius personam patroni; adeo ut si dignitatem, & officium distinguendum, ornandumque pri-

vilégio censuerit, ecclesiasticum sit juspatronatus; & vice versa laicale sit, si merita singularia vel personæ, vel familiæ occasionem privilegio dederint; quæ omnia intellige, quotiescumque nihil singulare in privilegio exprimat; ubi enim aliud suadeant privilegii verba, istis erit sine discrimine inhærendum. His jurispatronatus speciebus addere possumus tertiam quandam speciem patronatus, quem mixtum Pragmatici vocant, videlicet partim laicalem, partim ecclesiasticum. Exemplum est, quoties acquiritur patronatus à duobus, quorum unus ecclesiastica bona possidens, portionem istorum bonorum conferat in beneficii erectionem, alter verò conferat portionem bonorum patrimonialium sui juris. Similiter quod in duabus personis, idipsum & in una contingere potest, si nimirum unicuique fundator sit, & partim ex bonis Ecclesiæ, partim ex patrimonialibus Ecclesiæ, vel beneficium erigat. Præterea & illud fundatori laico indulgetur, ut etiam si bona sui juris, & laicalia ad erectionem beneficii contulerit, possit hanc formam patronatui indere, ut in parte concedatur cuidam ecclesiasticæ dignitati, in parte reservetur heredibus, vel familiæ, qua in specie juspatronatus etiam mixtum erit. Idem dicas de patronatu, qui concessit privilegio fuerit; neque enim repugnat, quin is, qui privilegium concessit mixtum juspatronatus plurium gratia constituat, id est & gratia dignitatis ecclesiasticæ, & gratia alicujus familiæ, vel personæ, & heredum. In his omnibus speciebus obtinuit, ut, quando alia sunt jurispatronatus laici, alia ecclesiastici jura, & rationes, quod adparet in reservationibus, in numero mensium, in facultate variandi, & similibus, jura hæc facile communicentur, ita ut, quod amplius uni competit, illud ipsum alteri accedat, & in conflictu duorum jurium, quorum alterum ab altero excludatur, illius habeatur ratio, quod potius est, atque præstantius. Si quæratur, quale habendum sit juspatronatus competens monas-

terio, jamdiu receptum fuisse scimus, tanquam ecclesiasticum censi, saltem quod spectat jus præsentandi, cap. 1. de jurepatron. in 6. Quid verò si laicorum confraternitati competat jus patronatus? Ex principiis modò præactis omnis facillè diluitur difficultas. Neque enim dubitandum est, quin laicale dicendum sit, quoties ex bonis laicis, etiam si hæc ad ipsum confratrum Collegium pertineant, erectum beneficium, aut Ecclesia proponatur; etenim si Collegium ipsum laicale est sui natura, etiam laicalia sunt ejusdem Collegii bona. Erit autem ecclesiasticum juspatronatus, quoties erectum foret beneficium, vel Ecclesia ex bonis ecclesiasticis confraternitati administrationis causa concessis. Porro nec repugnat, juspatronatus, quòd semel laicale fuerit, progressu temporis ecclesiasticum fieri, velut si Patronus laicus jus suum ecclesiasticæ cuidam dignitati, vel officio, vel capitulo, vel monasterio cedat, dicto cap. un. de jurepatron. in 6. Disputant Interpretes, quale censendum sit juspatronatus, ubi dubitatio emergat, & constare non possit, an laicale sit, an ecclesiasticum, Deficientibus tabulis foundationum, aut nullis existentibus conjecturis, ex quibus certa patronatus qualitas eliciatur, scripserunt aliqui, juspatronatus laicale præsumi; primùm ex eo, quod in dubio bona esse laicalia, & Clerici juxta Sancti Augustini institutiones nihil habere proprium, præsumantur, can. 10. 11. 18. caus. 12. quæst. 1., deinde ex eo, quod jurapatronatus laicalia sint ecclesiasticis vetustiora. Addere potuissent argumentum, quod deduci potest ex capitulo 41. de testibus, ubi solliciti fuere Antistites de commendanda litteris libertate Ecclesiæ, quasi libertas probari debeat ab allegante. Verùm hæc non satis mihi placere possunt, observanti, juspatronatus inter jura privilegaria recenseri, nec facillè præsumi privilegia, nisi apertis probationibus demonstrantur. Eequidem fateor, privilegium istud, quod patronatum vocat, in-

sertum esse juri communi; verùm quantum commune illud concessit certo tantum personarum generi, ex. gr. fundatoribus Ecclesiarum; qui illud privilegium allegat, licet expressum privilegium exhibere non teneatur, quasi elevetur onus probandi ex disciplina juris generalis; demonstrare tamen debet, se esse de illo personarum genere, quod jus commune ad privilegium vocat; cum enim id in facto consistat, & quidem singulari, præsumi non potest. Addo, in dubio favorabilem esse debere Ecclesiæ, & beneficii causam, & majorem beneficiorum libertatem, quoad fieri possit, adseri oportere, quod sanè argumentum ab iis vehementius urgeretur, qui tradunt, juspatronatus esse quandam veluti Ecclesiæ servitutem, non facillè adjuvandam aut interpretatione, aut præsumptione. Neque dicas, in hac specie disputari, non de jurepatronatus, sed de jurispatronatus qualitate; etenim semper idem, aut simile viget argumentum. Cum juspatronatus laicale est, nihil aliud superest ecclesiasticis viris, seu Ecclesiæ Prælati, quam institutio, & quidem præsentanti, qui, dummodò sit idoneus, necessariò est instituendus, at in jurepatronatus ecclesiastico sive præsentatio, sive institutio semper penes viros ecclesiasticos inest, unde magis libera remanent jura Ecclesiæ in designatione sacrorum ministrorum, quæ libertas est in dubio adjuvanda. Restat nunc, ut, quæ à contra sentientibus proponuntur, diluantur. Ajunt ipsi in primis, bona in dubio laicalia præsumi. Oppono ego, in dubio præsumi libertatem; Præsumptio præsumptionem elidit; ac propterea res reducitur ad generalia principia, quæ postulant, ea, quæ facti sunt, probari oportere. Deinde non quærimus, an bona laicalia extiterint, an ecclesiastica; sed an laicus de bonis suis beneficium erexerit; an Clericus de bonis ecclesiasticis. Æque præsumitur laicus erexisse de bonis suis, ac Clericus de bonis Ecclesiæ. Subjicitur, qui contra sentiunt, Clericos non præsumi quidquam possidere jux-

juxta regulas Sancti Augustini. Esto, id verùm sit: ergo Clerici quidquid possident, nomine Ecclesiæ possident; ergo si beneficia erexerunt, cum de aliis bonis erigere non potuerint, quam de ecclesiasticis, ecclesiasticum juspatronatus adquisivisse censebuntur. Hoc unum est, quod fuit ex eo principio consecrarium. Si exinde probatum putant, qui contra sentiunt, Clericos non præsumi erexisse, oportet, ut ulterius doceant, ex regula Sancti Augustini, ne Ecclesiæ quidem bona à Clericis fuisse possessa. At enim, quid provocant ad præcepta Sancti Augustini exigentia à Clericis paupertatem, quandò ea paupertatis clericalis disciplina intra fines Hipponensis diocesis sub Augustino vigeat, quandò etiam Augustinus eam paupertatis institutionem non diu potuit à Clericis obtinere, dicto can. 18. caus. 12. quæst. 1.? Profecò in dubio non eousque redigenda res est, ut referatur ad disciplinam antiquissimam, quæ vix per aliquot annos obtinere potuit in una aut etiam altera Africana diocesi. Insistunt, qui contra sentiunt, & ajunt, jurapatronatus laicalia esse ecclesiasticis antiquiora. Quid si ego id inficias iverim? Non deesset antiquissimum monumentum, quo demonstrarem, primùm viris ecclesiasticis concessum fuisse jus præsentandi Clericum in beneficio à se erecto, & antequam laicis fundatoribus concederetur, can. 1. caus. 16. quæst. 5., dummodò hic canon non Nicolao I., uti legitur apud Gratianum, sed auctoribus suis vetustissimis tribuatur. Deinde in dubio non res adeò antiquissima præsumitur, ut multa sæcula transcendat, illa, inquam, multa, quibus jamdiu recepta sunt jurapatronatus ecclesiastica. Denique quod ex capitulo 41. de testibus depromitur argumentum, infirmum admodum esset. Agitur ibidem de laico fundatore, qui in limine foundationis quodcumque juspatronatus abs se abdicaverat. Constabat de foundatione: Si aliud non adpareret, pro jurepatronatus, & quidem laicali, pronuncianda sententia

fuisset: Fundator idem juspatronatus abdicavit: Hæc abdicatio veluti in facto consistens probanda erat ab Ecclesiâ; ac proinde solliciti esse debebant Antistites in curando perpetuo abdicationis monumento. Res eodem ferè modò se habet, ac si quis fateretur, se mutuum habuisse pecuniam, & curaret restitutæ pecuniæ probationem scripto commendari. Non præsumitur obligatio mutui: sed probata obligatione mutui non præsumitur solutio gratia debitoris; inde verò debitores constituti solliciti fiunt de monumento factæ solutionis.

Altera jurispatronatus divisio est, qua aliud simplex dicitur, aliud reale. Reale illud dicitur, quod alicui competit intuitu vel certæ rei, vel certi juris ita, ut semper transeat in quemcumque ejusdem rei, vel juris possessorem, quemadmodum simplex illud est, quod in rem non concipitur, sed vel certæ personæ, vel certo personarum generi concessum adparet. Hinc sanè liquet, juspatronatus ecclesiasticum semper reale existere, utpotè quòd cohæreat dignitati, vel officio ecclesiastico, & transeat de possessore dignitatis, vel officii in eos omnes, qui in eadem dignitate, vel beneficio succedunt. Id adeo verum est, ut qui allegat, juspatronatus ecclesiasticum esse, non teneatur probare, juspatronatus esse reale, cum qualitas realis patronatus ex natura Patronatu ecclesiastici proficiscatur. Non id ipsum contingit in jurepatronatus laicali, utpotè quòd suapte natura personale potius est, nec reale censetur, nisi hæc qualitas demonstretur. Sanè intelligitur reale juspatronatus Ecclesiæ, quotiescumque Ecclesia sit erecta in certo fundo, vel villa ad commodum fundatoris etiam singulare, ut dum fundum, vel villam possidet, eadem Ecclesia causa exercendæ religionis utatur, argumento cap. 7. de jurepatron.: eadem ratione dicendum videtur, juspatronatus feudo adnexum censeri, quotiescumque Ecclesia erecta proponatur intra mœnia castri vallata, in quibus feudatarius habitet. Item

si beneficium erectum sit à Vasallo de bonis feudilibus, nulla quoque dubitatio erit, quin juspatronatus exinde competens reale censeatur, & feudo adnexum. Ubi probationes, & hujus generis argumenta deficiant, ex usu rerum gestarum desumentur conjecturæ, quæ si graves existant, in causa erunt, ut juspatronatus reale censeatur. Quid enim ex. gr., si liqueat, præsentationes Clericorum semper ab iis factas fuisse, qui feudum possederunt, utut diversi Vassalli fuissent, feudo modò uni, modò alteri familiæ ex domini directi providentia concessa? Quid, si plures sint feudi possessores, & unusquisque Vasallus pro virili, quam habeat, feudi portione, etiam juspatronatus exercuerit? Sunt hæc argumenta gravissima, ex quibus juspatronatus veluti feudo adnexum demonstratur. E contrario non erit sufficiens conjectura ad probandum feudale juspatronatus, quoties Patronatus in actis præsentationis se castri dominum nominaverit; etenim istæ denominationes fieri solent ad demonstrandam qualitatem, conditionem, nobilitatemque personæ, non semper ad indicandam juspatronatus naturam. Itaque certum erit, in dubio juspatronatus tanquam simplex pronunciarum oportere, ut censeatur à feudo, à prædio, aut simili re se junctum, nec transeat facile in singulares successores, in feudo ac prædio, sed ad eos mortuo patrono devolvatur, qui vel sint patroni heredes, vel alia ratione sint ad juspatronatus vocati.

Tertia, & quidem vulgaris, proponi hodie solet juspatronatus partitio, juxta quam aliud hereditarium, aliud familiare, vel gentilitium nuncupatur. Hereditarium illud est, quod pro possessoris arbitrio transit in heredes quoscumque, dummodo isti aliàs sint ejusdem juris adquirendi capaces. Familiare, vel gentilitium est, ad quod vocati sunt ii tantum, qui sunt de familia, vel de gente fundatoris. Dixi de familia, vel gente, etenim familia à gente distinguitur, cum familia ea dicatur, quæ à fundatore descendit per

personas masculini sexus; gens autem nuncupetur, quæ complectitur omnes fundatoris agnatos etiam collaterales, argumento l. 195. de verbor. signific. Apud Pragmaticos non satis de verborum proprietate sollicitos, & gentis, & familiæ nomina promiscuè sumuntur, etenim gentilitium patronatum etiam familiarem nuncupant; qua tamen in re coacti fuerunt duplex familiæ genus agnoscere, aliam vocantes familiam effectivam, quasi à fundatore effectam, sive progenitam, quæ sanè propriè familia est; aliam vocantes familiam contentivam, quasi eam, in qua & ipse fundator continetur, quam propriè gentem, sive gentilitium, & agnatorum complexionem dixissent. Sed & quædam aliæ species sunt juspatronatus, quæ cum modò memoratis quandam analogiam habent. Hujusmodi est patronatus primogenialis, qui competit tantum primogenitis de certa familia, vel agnatione, cæteris exclusis: hujusmodi est patronatus linealis, qui primùm ad certam lineam familiæ, vel agnationis defertur, qua demum deficiente ad aliam lineam devolvitur: hujusmodi est patronatus descendentalis, ad quem vocantur descendentes à fundatore, sive sint in familia, sive extra familiam, etiam si masculi exclusis feminis ad illum vocati fuerint; qua in specie etiam vocati censentur masculi è feminis descendentes: hujusmodi denique est patronatus mixtus, ad quem vocantur, qui sunt de familia, aut de gente, aut de descendibus fundatoris, dummodò isti fundatori heredes extiterint; qua in specie duplex qualitas contemplatur, nimirum, & qualitas heredis, & qualitas vel familiaris, vel gentilitia, vel descendentalis. Hæ sanè omnes patronatum qualitates ex verborum formulis, quas fundator in limine foundationis expresserit, deduci solent; atque hanc ob rem multum interest, an fundator pro heredibus omnibus, an pro consanguineis, an pro filiis, ac descendibus quibuscumque sine sexus discrimine, an pro filiis, ac descendibus tantum masculis, an denique pro filiis,

liis, aut descendibus simul, & heredibus patronatum reservaverit, ut semper servetur ea qualitas, quæ initio à fundatore juripatronatus indita fuerit. Et quidem ubi fundator familiæ nomen usurpaverit, nulla dubitatio esse potest, quin patronatus familiaris sit, ad quem vocari censeantur, qui sunt in familia fundatoris, sive illi, qui, si fundator viveret, in ejus potestate consisterent; qua in specie exclusi sunt descendentes ex feminis. Quod si fundator agnatos vocaverit universos, juspatronatus gentilitium erit, quasi ad agnatos omnes etiam collaterales pertineat. Si verò vocaverit descendentes, nec ratio familiæ, nec ratio agnationis locum habebit, & patronatus ad omnes devolvitur, qui progeniti sint à fundatore, sive per masculos, sive per feminas. Cæterum in interpretandis foundationum formulis non una, aut altera vocabulorum usurpatio attendenda est, sed integer tabularum contextus, ex quo commodius intelligitur voluntas fundatoris. Quid tamen, si non adpareat de mente fundatoris, veluti si nihil omninò dixerit de iis, qui in patronatu sint successuri, vel tales formulas adhibuerit, quæ æquè heredibus, ac iis de familia, vel de descendibus accommodari possunt? Planè in hac specie juspatronatus intelligitur esse hereditarium, ex generali juris regula, qua quisque præsumitur cum sibi, tum heredibus suis prospicere voluisse. Fateor, hanc regulam locum non habere, quotiescumque aliud postulet natura rei, de qua agitur, veluti cum de successione feudali disputatur. At verò natura juspatronatus etiam primigenia hæc est, ut ad illud heredes quicumque vocentur, l. 15. cod. de sacros. Eccles., Nov. 123. cap. 18. Hæc uberius & clarius demonstrabuntur in cap. 5. ex sequentibus. Igitur potiore jure hereditarium habebitur juspatronatus, si expressè fundator heredes vocaverit. Imò & illud hodie recipiendum censeo, ut hereditarius patronatus existimetur, etiam si fundator dixisset, se ad illum heredes suos

vocare. Siquidem licet apud veteres Jureconsultos *suorum* nomen de iis tantum intelligeretur, qui in familia alicujus existerent; ex vulgari tamen nominis significatione passim hodie recepta, non aliter quis suum heredem nominat, quam ut eum designet, qui sibi heres existat; nec novum est etiam jure Romano, recedi à stricta significatione verborum, quam latina locutio indidit, quoties vulgus eam inflexisse, aut etiam detorsisse deprehendatur; sunt enim istæ species, in quibus errorem jus facere, scribebat Paulus in l. 3. in fine ff. de supellectile legata. Simili de causa dixero hereditarium patronatum, cum vocati sint ad illum, qui fundatori fuerint successores; etenim & successores nomen bellè de herede dicitur, quemadmodum hereditas successio appellari solet, l. 24. & 170. ff. de verb. signif., quod potiore jure recipiendum est, ubi fundator vocet heredes, & successores; nam in hac specie designatione heredum clarius indicavit fundator, quos successorum nomine designaverit; proindeque si dixisset fundator, vacare se descendentes, & successores, contra sententiam, quasi hoc casu cum fundator descendentes nominaverit, tum etiam successores dixisse censeretur illos, qui à se progeniti forent. Quandoquæ contingit, ut quod ab initio juspatronatus hereditarium fuit, gentilitium, vel familiare fiat, & è converso: quod tamen an semper ex recta juris interpretatione profectum fuerit, an ex Pragmaticorum placitis, maxime dubitaverim. In jure nihil aliud statutum invenio, quam patronum posse concedere juspatronatus laicale, quo gaudet, alicui Ecclesiæ, vel loco religioso, cap. 8. de jurepatron., cap. un. eod. tit. in 6., cujus rei ea ratio reddi potest, quod ex hac immutatione juspatronatus, quod de laicali fit ecclesiasticum, utilitas, & major quædam libertas in Ecclesiam emergit. Exinde recta interpretatione colligi potest, immutari posse juspatronatus qualitatem semel inditam, quotiescumque interesse Ecclesiæ videatur.

At enim si hæc vera sunt, nullam aliam causam probabilem invenio, quare gentilitius, vel familiaris patronatus in hereditarium convertatur, & è converso, nisi quòd identidem ea commutatio utilis esse potest Ecclesiæ, sive ecclesiasticæ libertati. Adjunt Pragmatici, juspatronatus gentilitium, vel familiare in ultimo ex agnatis, vel de familia hereditarium fieri; de qua re quamquam olim disputaretur, tamen post Ancharani consilium 81., omnes in unam coivere sententiam, novam illam qualitatem hereditariam adprobantes, duobus tantum exceptis casibus: primo, si fundator dixisset, se tantum familiam suam, vel agnationem vocare, indicans se velle, liberam Ecclesiam fieri extincta linea, vel agnatione; secundo si juspatronatus competat certæ familiæ, vel genti ex privilegio, cujus interpretatio semper angustis finibus circumscribitur. Quousque in hisce terminis consistent Scriptores, non improbabilis videretur illorum opinio. Etenim observari posset, juspatronatus suapte natura hereditarium esse, proindeque, nisi aliud fundatori placeat, patronatum in heredes traduci. Ex hoc fortè conjiceretur, fundatorem, agnatos vel descendentes suos vocando, non voluisse quidem ab heredibus suis jus patronatus auferri, sed potius in concursu heredum extraneorum, atque agnatorum, vel descendendum, agnatos, vel descendentes heredibus præferri. Quando verò Pragmatici ulterius docent, licere heredibus fundatoris, vel fundatori ipsi patronatum hereditarium semel acquisitum in familiarem vel gentilitium commutare, adjecta ratione, quod utilior fiat Ecclesiæ causa, ob spem libertatis, quam habet Ecclesia, extincta familia vel agnatione, non video sanè, quomodo iidem Pragmatici sibi consent; quin potius videntur in hac posteriore specie evertere, quod in priore adstruxerunt. Hæc sunt dura emblemata, quibus identidem obvolvuntur, quicumque sine certis principiis huc illuc evagantur, inanibus ut plurimum ratiocinationibus

quandoquè etiam studio illarum partium, quibus serviunt, ducti. Igitur utcumque passim has vulgares opiniones receptas noverim, fortè etiam quorundam tribunalium, apud quæ plurimum valere consuevit Pragmaticorum auctoritas, definitionibus comprobatas, liceat nihilominus mihi liberè fidenterque, quod sentio, aperire. In primis pro certo habeo; licere fundatori, vel Patrono meliorem facere Ecclesiæ causam, dicto cap. 8. de jurepatron. dicto cap. un. eod. tit. in 6. Deinde colligo, non licere fundatori, patrono cuicumque, patronatum familiarem, aut gentilitium in hereditarium commutare. Etenim hac admissa commutatione, non solum nihil utilitatis in Ecclesiam derivat, sed potius non leve detrimentum. Statim ac enim Ecclesia initio certum Patronorum genus in limine foundationis designatum agnovit, eidem Patronorum generi setotam Ecclesia commendavit; non expedit autem, invita vel ignorante Ecclesia genus semel electum commutare: quasi ignotus quisque suffici pro arbitrio possit patrocinii suscipiendi causa illi, de quo, cum designaretur, optimam spem Ecclesia ipsa concepit. Neque dicas, liberum fuisse initio fundatori heredes quoscumque extraneos ad patronatum vocare. Id non inficior: at quæstio non est, an vocare potuerit, sed an vocaverit. Si vocavisset heredes quoscumque, Ecclesia ipsa in limine erectionis consensisset in patrocinium ab herede quocumque suscipiendum, nihilque esset, de quo Ecclesia post hunc consensum conqueri posset. Ad post electam semel Patroni personam pacto inito inter fundatorem & Ecclesiam, incivile est, fraudem Ecclesiæ fieri, & unum pro alio Patronum obrudi. Neque insistas, ajendo, voluntatem fundatoris eo collatam fuisse, non ut extranei heredes excluderentur, sed ut extraneis heredibus præferrentur filii, vel agnati. Etenim in primis, hanc fuisse fundatoris voluntatem probari oporteret, propterea quòd de patronatu agitur, quod jus singulare est,

&

& privilegiarium, in quo non adeo ampla, & liberalis interpretatio locum habet. Deinde si agatur de herede fundatoris, non video, quomodo fundator præferre voluerit filios, aut agnatos heredibus extraneis, quando in heredes extraneos majorem exhibuit benevolentiam, dum eos heredes instituit; & si Patronatum filiis exhereditatis, aut agnatis præteritis contulit, Patronatum ipsum potius inter honores, quam inter jura recensuit; aliàs autem honores, qui personales esse solent in genere suo, juribus hereditariis non accensentur. Quòd si agatur de heredibus non fundatoris, sed succedentium Patronorum, tanta istorum non videtur habita ratio à fundatore, utpotè qui erant fundatori eidem ignoti; imò si fundatori ipsi hereditarium facere patronatum, qui semel gentilitium, aut familiaris erat, non licet, quomodo id licere potest illi, qui fundatori successerit? Neque dicas denique, si hæc admittantur, facile repelli fundatores ab erigendis Ecclesiis; etenim nihil inde admittitur, quod abstertere valeat ab erigendis Ecclesiis fundatores, quibus licet in limine foundationis aliter explicare voluntatem suam, expressè proficendo, vocare se post extinctam familiam, vel gentem eos, qui ultimò de familia, vel gente sint heredes exituri. Post hæc ego concludo, licere è converso Patronis Patronatum hereditarium in familiarem, vel gentilitium commutare; etenim positis hisce principiis facile liquet, hanc commutationem esse magis Ecclesiæ utilem ob spem conceptam futuræ libertatis in ultimo de gente, vel de familia, quod ipsi Pragmatici facile admiserunt.

Postrema jurispatronatus partitio passim traditur, dum dici solet, aliud esse jurispatronatus activum, aliud passivum. Activum illud est, quod superius in capite primo definitum fuit, & ad quod tota ferè pertinet hæc dissertatio. Passivum appellaverunt, quod competit certis personis, aut certo personarum generi, con-

sistens in jure eisdem à fundatore concessio; quo ipsi tantum in adeptione alicujus beneficii admittantur, aut saltem ad adipiscendum beneficium ceteris præferantur, veluti si fundator dixerit, se vocare ab beneficii à se erecti consecutionem filios suos, aut agnatos, aut alios quoscumque extraneos. Differt sanè quammaximè ab activo hic patronatus, sive natura sua, cum activus in honore quodam, & onere consistat, in passivo sola versetur privata vocatorum utilitas; sive ratione rei, cui adhæret, nam activus æquè in Ecclesia, ac in beneficio esse potest, passivus tantum in beneficio; sive ratione personarum, quia activi etiam femina, & infantes capaces sunt, non passivi; sive denique ratione finis, quia patronatus activus imminuit quodammodo Ecclesiæ, vel beneficii libertatem, at passivus imminuit jus, & libertatem illius, qui jure patronatus activo gaudet. Dicam amplius: juspatronatus passivum ne jurispatronatus quidem nomine donari rectè posset, cum non ex privilegio, & jure singulari canonum concedatur, sed totum pendeat ex voluntate fundatoris; imò nihil aliud sit, quam nominatio à fundatore facta illorum, qui sint in erecto & patronato beneficio instituendi. Quædam inde fluunt consecutaria. Primum est, requiri ad inducendum patronatum passivum, expressam fundatoris reservationem. Ratio hujus rei evidens est, quia cum is patronatus nihil aliud sit, quam nominatio à fundatore facta, nulla supponi potest nominatio, nisi gratia ejus, qui expressè designetur. Hinc fit, ut reservato favore certæ familiæ jure patronatus activo, non tacitè intelligatur reservatum passivum, præsertim quòd si juspatronatus passivum constitutum intelligeretur, eo ipso, quo fundator constituisset activum patronatum; hunc eundem diminuisset. Alterum est, in patronatu passivo nullo modo posse recipi, quod ex laudata Pragmaticorum opinione apud quosdam invaluit in activo, nimirum juspatronatus familiare in ultimo

mo

mo de familia hereditarium fieri; sive quod, uti adnotabam, non satis ea opinio convenire potest optimæ disciplinæ, sive quod extincta familia nulla amplius fingi potest Fundatoris tacita nominatio, quod & iidem Pragmatici communi suffragio admiserunt. Tertium est, in patronatu passivo primogeniali primogenitum facti, sive seniore ætate, præferendum esse primogenito juris, quamquam contrarium vigeat in activo, propterea quod activus patronatus honorificum jus est, qua in re primogeniti dignitas, non ætas spectatur; ac patronatus passivus tendit ad addicendum certum Clericum Ecclesiæ ministeriis, qua in

specie ætatis gravioris, & maturioris ratio prudenter habetur. Quartum est, eum, qui gaudet jure patronatus passivo, petere posse institutionem ab Episcopo, quasi jam nominatum à fundatore; quod si qui juspatronatus activum habet, adhuc uti potest jure suo, vel hoc jus consistit in gerendo vices fundatoris, vel consistit in præsentatione, illa, inquam, præsentatione, quæ meri facti est, & quæ à nominatione secernitur, juxta ea, quæ inferius suo loco tradentur; adeo ut si Patronus præsentare negligat nominatum à Fundatore, nominatus idem petere ab Ordinario possit, ut in beneficio instituat.

CAPUT III.

De iis, qui juspatronatus acquirere possunt; vel semel acquisitum retinere.

ANtequam agam de causis, quibus juspatronatus adquiratur, ponendæ sunt quædam regulæ, quibus deffiniatur, quinam sint ejusdem juris acquirendi capaces, vel retinendi. Et quidem initio dico, juspatronatus, veluti jus spirituale, aut spiritualibus cohærens, tanquam suum fundamentum habere christianam communionem. Quomodo enim aut tutor, aut defensor Ecclesiæ dici potest, qui aut Ecclesiam non agnoscit, aut ab Ecclesia absclusus proponitur? Quomodo ritè admittetur ad Clerici præsentationem, qui in ipso præsentationis actu præsumi non potest, providè prudenterque Ecclesiæ consulere? Uno verbo: juspatronatus est singulare privilegium alicui concessum ob singularia exhibita in Ecclesiam merita; at qui Ecclesiæ repugnat, tantum abest, ut singulari dignus privilegio sit, & singularia merita in Ecclesiam exhibuerit, quin potius justa Ecclesiæ indignatione, aut aversione dignus est. His principiis Toletani Patres, dum prima gratia fundatorum jura invenerunt in can. 30. caus. 16. quæst. 7.,

de iis tantum mentionem fecerunt, qui fideles essent, & devotione propria facultates suas Ecclesiæ contulissent. Hinc liquet, abs jurepatronatus arceri judæos, paganos, infideles omnes, atque hæreticos universos. Quæri solet de excommunicatis. Nulla sanè dubitatio esse potest de iis, qui minore tantum excommunicatione notantur, siquidem ad hæc auferenda jura minor excommunicatio minimè pertinet; atque jam cautum est, eum, ad quem spectat jus eligendi, nullo modo cadere ab eodem jure, si minore excommunicatione plectatur, cap. ult. de Cler. excom. ministr. Redigitur quæstio ad excommunicatos majore, ut ajunt, excommunicatione. Horum duplex genus est. Vel enim excommunicati sunt lata in ipsos censura, qua terreantur, ut quanto magis Ecclesiæ obediant, & satisfaciant; interea tamen necdum omnino pugnaces sunt, id est, ut Pragmaticorum formulis utar, necdum insordescuntiam contraxerunt; vel pugnaces diu in excommunicatione perstiterunt, & insordescunt hærentur; aut etiam ab initio non excom-

municati tantum, sed mortali anathemate percussi sunt, quasi spem ferè omnem de eorum pœnitentia Ecclesia abjecerit. Qui in hoc posteriore statu sunt, id est vel excommunicati insordescunt, vel anathemati obnoxii, si sanè ab omni patronatus jure, si quod olim habebant, ceciderunt, & minus idonei sunt ad simile jus acquirendum, propterea quod hæreticis æquiparentur, cap. ult. de pœnis, cap. 13. §. Qui autem de hæreticis, cap. 7. eod. tit. in 6. Qui verò sunt in priore statu, nimirum excommunicationis censuræ subjacent, nondum tamen insordescuntiam contraxerunt, arcentur quidem interea ab exercitio patronatus, quemadmodum ab exercitio cæterorum jurium christianæ communionis, adhuc tamen retinent, quod olim adquisiverant, juspatronatus; sicut cætera jura christianæ communionis in radice, ut ita loquar, pergunt retinere; neque enim isti adhuc tanquam hæretici, & omnino ab Ecclesia extores habentur, argumento dicti cap. ult. 13. & 7., juncto can. 36. & 37. caus. 11. quæst. 3., eadem ferè ratione, qua Clerici beneficiarii censura notati non nisi post insordescuntiam beneficio exuuntur, cap. 8. de ætat. qual. & ord. præfic., quamquam etiam ante insordescuntiam nihilominus à perceptione beneficiariorum fructuum arceantur, cap. 53. in fine de appellation. Ut paucis dicam: hoc excommunicationis genere damnati jure non videntur tales existere, quales facti sunt, exemplo relegatorum, qui facti à Civitate absunt, quamquam jure adhuc civibus adnumerentur; & tunc demum Civitatem amittunt, qui non tam relegati sint, quam deportati. Sed de hac re uberius agendum erit in interpretatione libri 5. decretalium, ubi naturam censurarum, pœnarumque ecclesiasticarum expendam.

Itaque, quicumque est extra christianam communionem, ab acquirendo, vel retinendo patronatu repellitur. E converso certa regula est, unumquemque admitti ad juspatronatus acquirendum, ac

retinendum, qui in christiana communionem consistit; quemadmodum suadere videntur ampla, & generalia canonum verba, can. 30. 31. 32. caus. 16. quæst. 7., cap. 6. de jurepatron., juncta l. 1. ff. de verb. signif. Id adeo verum est, ut non solum pueri, & infantes, verum etiam feminæ generali lege comprehendantur, cap. ult. de conces. præb., quod tamen ita velim intelligas, ut mulier admittatur quidem ad præsentationem Clerici, item petere possit alimenta sibi inopi necessaria ab Ecclesia, necnon teneatur ipsa vel per se, vel per procuratorem Ecclesiam tueri; non verò ita, ut ipsa in Ecclesia maximos postulet sibi deferendos honores, qualis esset honor sedis, thuris, aut alius quisquam similis, nisi agatur de femina illustri, quemadmodum Pragmatici communiter tradunt. Præterea Universitates, Communitates, Collegia, Capitula, & alia hujus generis corpora juspatronatus acquirere, & retinere possunt; quæ tamen si titulum foundationis, vel dotationis allegent, tunc demum juspatronatus illinc adquisivisse censebuntur, quum Ecclesia, aut beneficium non de singulorum bonis, sed de bonis ejusdem Universitatis, Communitatis, Collegii, Capituli, alteriusve corporis erectum fuerit, vel dotatum; imò etiam si ex elemosynis erectionis causa collectis beneficium, & Ecclesia erigantur, & beneficium, & Ecclesia libera pœnitens habebuntur.

Singularis est de Monachis disputatio, utrum aut acquirere juspatronatus possint, aut semel quæsitum retinere; sive agatur de viris, sive agatur de feminis religiosis. Certa ab incertis separamus. Certum est, & in jure probatum, monasteria ipsa Monachorum, aut Sanctimonialium jurepatronatus uti posse, cap. 7. & 13. de jurepatron. Igitur ad singulares Monachorum personas tota pertinet quæstio. Qua in re se jungeret juvat speciem à specie. Primum observandum est, frustrà quæri de Monacho professo, an primum acquirere juspatronatus possit ex fundatione, vel do-